

*Renovatio Emphiteuseos Abbatis monasterii
S. Justinæ de Sezzadio: ex tabul. Congreg.
Oblat. S. Sepulchri.*

373

M C C C C L.

Anno MCCCCL., indictione XIII., die V. febr. Actum in monasterio S. Justinæ, & in capitulo dicti monasterii, præsentibus D. Petro de Guibardis de Vercellis jurisperito, & Vicario terræ Cassinarum, Manfrino Bosca de Sezzadio, & Baptolino Buzio de Cassinis omnibus testibus &c. Cum Ravaccius de Castronovo vallis Burmidæ in ejus vita, & post ejus mortem Thomas ejus filius in ipsius Thomæ vita, & post mortem dicti quondam Thomæ, Antonius Jacobinus Nicolinus, & Zanotus filii, & heredes dicti quondam Thomæ tenuissent . . . certam petiam insulæ . . . cui petiæ cohæret ab una parte flumen Burmidæ, ab alia Rocca Molletæ, Franciscus Gajolus, & jura monasterii infra scripti . . . requirentesque dicti filii pro eorum, & dicti monasterii cautela, & securitate a R. P., & D. D. P. Antonio de Lanzavegiis Dei gratia Abbate dicti monasterii . . . convocatisque ut moris est D. Fr. Ambrosio Marino Priore dicti monasterii, Fr. Joanne de Mediolano, Fr. Leonardo de Oretto, Fr. Thoma de Lucca, Fr. Agnatio de Portofino, Fr. Laurentio Frillo, Fr. Barnaba de Savigliano, Fr. Lucca de Cumis, & Fr. Evangelista de Francia &c. Ego Fredericus Buzius filii quondam Gaslini de Cassinis publicus Notarius &c.

*Litteræ Nicolai V. civitati, ac diœcesi Aquensi
nunciantes electionem D. Thomæ de Regibus
in Episcopum Aquensem.*

374

M C C C C L.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis populo civitatis, & diœcesis Aquensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie de persona dilecti filii Thomæ Electi Aquensis Ecclesiæ . . . tunc per obitum B. M. Bonifacii Episcopi Aquensis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitutæ duximus providendum præficiendo eum illi in Episcopum, & Pastorem, prout in nostris inde confectis litteris melius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus, & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Electum, tamquam Patrem, & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam ita, quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benevolum gaudeatis. Dat. Spoleti anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL., pridie idus octob. Pontificatus nostri an. IV.

*Electio D. Thomæ de Regibus in Episcopum
Aquensem a capitulo facta.*

375

M C C C C L.

Anno Domini MCCCCL., die ultimo octobris. Fridericus de la Porta Archidiaconus, & pro-

curator D. Petri Nicolai Bullæ, Sismundus de Sismundis decretorum Doctor, & Procurator Bartholomæi Piperis, Joannes Zucha, & Joannes de Sismundis, Albertus de Peceto præpositus, Bartholomæus Zabreræ, & Gulielmus Bellexius omnes Canonici Aquenses representantes majorem partem capituli congregati in Ecclesia B. Mariæ de Vixono. Confitentes, quod sit dispendiosa Ecclesiis earum longa vocatio, nec valentes commode ad Ecclesiam Cathedralē tutum habere accessum propter pestem in civitate Aquensi vigentem, post maturum tractatum super electione futuri antistitis, ad Ecclesiam vacantem nominaverunt, & nominant in Pastorem & Episcopum dictæ Aquensis Ecclesiæ assumendum & confirmandum Ven. virum, & circumspectum D. Thomam de Regibus, civem, & Archidiaconum Albensē præsentibus pluribus viris, Fr. D. Lanfranco de Squassis de Meladio Ord. Cisterc. ministro Ecclesiæ Vixoni &c.

*Ejusdem edictum Clero Aquensi, ut coram se
flata die conveniat.*

M C C C C L I.

376

Dilectis nobis in Christo universis, & singulis Ven. Præpositis, Prioribus, Archipresbiteris, Canonicis, & Presbiteris in diœcesi nostra constitutis, quorum nomina inferius descripta sunt salutem in Domino. Cum pro parte Illustris, & Rev. in Christo P., & D. D. T. de Monteferrato Pronotarii nobilis Mirabellus familiaris spectatissimi, & Excell. D. D. G. de Monteferrato, nosque habeamus aliqua vobiscum communicare, idcirco tenore præsentium vos citamus, requirimus, & monemus, & pro vestro bono, & peremptorie cuilibet vestrum sub excommunicationis pœna præcipiendo mandamus, quatenus die lunæ proxime futura, quæ erit IV. mensis octobris proximi unusquisque vestrum compareat coram nobis Aquis in domibus residentie nostræ audituri ea, quæ vobis promulgare volumus: aliter procedemus contra vos ad dictam excommunicationis sententiam, & alia graviora, prout de jure. Dat. Aquis die XXIX. sept. MCCCCLI.

*Traditio ornamentorum Episcopaliū Capitulo
Aquensi facta a Manuele Sismundo pro
debito Canonicorum Albinganensium.*

M C C C C L I I I.

377

Anno Domini MCCCCLIII., XXVIII. octobris. Quum Antonius de Sismundis . . . ad solvendum Ecclesiæ cathedrali Aquensi nomine Canonicorum Albinganensium ducatos sexaginta quinque, quos Canonici Albinganensesolvere debebant dictæ Ecclesiæ, ecce quod Manuel Sismundus filius dicti Antonii coram Capitulo, & Episcopo tradit in compensa baculum eburneum Pastorale sculptum & depictum cum figura Agnus Dei (1). Item anulum unum aureum cum Zaphiro in medio, & aliis perlis veracibus, Pontificalem item planetam unam de camosato, stolam, & manipulum; item tunigellam, dalmaticam, & subdalmaticam. Item pallium pro facie altaris, tapetum unum rubrum. Item